INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA
HALENSI CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLXV—MDCCCLXVI

1865/66

A DIE XVI. M. OCTOBRIS VSQVE AD DIEM XVII. M. MARTII

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

Th. Bergk. Them. Theocritus

HALAE

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA
HALENSI CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLXV—MDCCCLXVI

1865/66

A DIE XVI. M. OCTOBRIS VSQVE AD DIEM XVII. M. MARTII

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

Th. Bergk. Theoc.

Theocritus

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
RECTOR

HENRICVS DERNBVRG

CVM SENATV

S. D.

CIVIBVS SVIS.

Quod tragicus poeta dixit τὸ ζητούμενον ἁλωτόν, ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον, cum in reliqua vita, tum vel maxime in litteris artibusque liberalibus usu venire solet. Ex quo tempore antiquarum litterarum studia denuo instaurari coepta sunt, homines docti tanta sedulitate ac religione omnes bibliothecarum latebras pervestigaverunt, ut plerique existiment, nobis omnem occasionem aliquid adiiciendi praeclusam esse, nisi forte ex Herculanei Pompeianaeque civitatis favillis aut ex Niliacorum sepulcrorum situ contigerit in lucem proferre librorum qui adhuc latent reliquias. Sed quamvis plurimum egerint priores, tamen ut verissime Seneca dixit, non inventa tantum nobis reliquerunt, sed etiam quaerenda: plurimum autem ad inveniendum contulit, ut idem ait, qui speravit posse reperiri.

Hoc quantam vim habeat, nuper luculenter experti sumus. Nam cum anno proximo priore Guilel. Studemund iuvenis gnavissimus et de nostris litteris ut auguror optime meriturus Mediolani in bibliotheca Ambrosiana meo rogatu examinaret Theocriti codices, in quibus Simmiae aliorumque carmina figurata extant, incidit in Theocriti carmen melicum, quod adhuc prorsus fugit hominum doctorum diligentiam: quod eo magis mirum videri potest, quoniam illum librum manuscriptum iam alii versaverunt: nam non solum Christophorus Ziegler inspexit, qui quidem trium tantum Theocriteorum carminum varias scripturas enotavit, sed etiam denuo eundem librum Iosephus Müller in Ahrensii usum contulit.

Codex Ambrosianus membranaceus (B. 75), qui saeculi XV esse fertur poetarum Bucolicorum et praeterea Hesiodi carmina exhibet, alia aliorum manibus descripta. [1]) Hic codex p. **133** Theocriti syringem, p. **135** Dosiadae aram (*Εἱμάρσενος κτλ.*), inde a p. **136** Holoboli rhetoris commentarium in Theocriti syringem et praeterea aliud commentum eiusdem carminis continet, p. **144** et **145** vacuae relictae; tum sequitur p. **146** Holoboli commentarius in Simmiae securim, tum p. **146** Simmiae eiusdem ovum legitur. Continuo subsequuntur p. **149** haec: *τοῦτο τὸ εἰδύλλιον σύγκειται εἰς ἠλακάτην ἐλεφαντίνην, ἣν πλέων ἐπὶ μίλητον ὁ θεόκριτος*

---

[1]) Hesiodi carmina omnia ab eodem librario descripta sunt, qui etiam Theocriti epigrammata exaravit.

πρὸς νικίαν τὸν ἰατρὸν δῶρον ἐκόμιζε τῇ τούτου γυναικὶ θεογενίδι· γέγραπται δὲ αἰολίδι διαλέκτῳ παρὰ τὸ σαπφικὸν ἑκκαιδεκασύλλαβον· τὸ ῥοδοπαχέες ἁγναὶ· χάριτες δεῦτε διὸς κόραι. ὁ δὲ λόγος πρὸς τὴν ἠλακάτην· καὶ ἔστι τὸ ἑξῆς γλαύκας ἀθάνας δῶρον ἠλακάτη φιλέριθε. τουτέστι φίλεργε ταῖς γυναιξί. Iam subiicitur Theocriti carmen XXVIII, quod inscriptum est in codice *ἀλακάτα· παιδικὰ αἰολικά,* cuius versus primus ita scriptus:

Γλαυκᾶς ὦ φιλέριθ' ἀλακάτα δῶρον ἀθαναίας,

sed recentior manus in vocabulo novissimo litteras *αι* expunxit. Tum p. **150** haec leguntur: *Ὑπόθεσις οἶνος ὦ φίλε παῖ παιδικὰ αἰολικά· γέγραφε δὲ τοῦτο εἰς* (prius fuit *εἰ*) *παῖδα ἀποστρεφόμενον τὴν αὐτοῦ φιλίαν. διὸ καὶ ἐλέγχειν αὐτὸν πειρᾶται ὡς μὴ σπουδαίως πρὸς τὴν αὐτοῦ φιλίαν διακείμενον. τὸ δὲ μέτρον τοῦτο σαπφικὸν πεντάμετρον τέσσαρες καὶ δεκασύλλαβον· ἡ δ' ὁμιλία παῤ ὅσον εἰρῆσθαι φασὶν οἶνος καὶ ἀλήθεια παρὰ τὴν παροιμίαν.* Iam subiicitur Theocriti carmen XXIX, quod in codice inscribitur *οἶνος ἀλάθεια:* cuius carminis versus novissimus legitur in p. **152** primore; continuo autem subsequitur novum carmen adhuc ineditum, quod item *παιδικὰ αἰολικὰ* inscriptum est. Hoc melicum carmen excipit p. **153** media *Εὐρώπη,* cui admodum recens manus fortasse Angeli Maii latinis litteris Moschi nomen adscripsit, quod continuatur usque ad p. **159** mediam; quae sequuntur paginae vacuae sunt, tum p. **163** legitur carmen *εἰς νεκρὸν ἄδωνιν,* p. **164** *κηριοκλέπτης*: reliqua pars paginae vacua est, quemadmodum p. **165**. Denique p. **166** exhibet imagines instrumentorum rusticorum, *τὰ τῶν ἀγροίκων τεύχεα*, quae iam ipsius Hesiodi carmina excipiunt.

Commode igitur recuperavimus insigne Graecae poesis monumentum, quamquam aegre ferimus carmen in libro Ambrosiano tam male esse habitum, ut quo pacto sit in integrum restituendum, multis locis valde sit dubium. Ut omnino difficilis et incerta esse solet emendatio librorum, qui uno tantum exemplo sunt propagati, ita hoc carmen peccatis et erroribus inprimis fuit obnoxium propter sermonis aeolici obscuritatem, cuius librarii parum gnari fuerunt. Credo equidem codicis Ambrosiani librarium diligenter haec ex antiquiore aliquo libro descripsisse, neque videtur incusandus esse, quod praesertim in versibus novissimis identidem vocabula plane praetermisit; haud dubie iam in antiquiore exemplo litterae adeo erant incertae et evanidae, ut describentis opera irrita esset. Satis enim religionem ac fidem suam probavit librarius, qui pessima carminis conditione non deterritus sit a describendi officio, cum ceteri satius duxerint plane omittere, quam chartis mandare, quae prorsus non intelligebant, quemadmodum in compluribus apographis etiam carminis XXIX posterior pars deest, quoniam librarios improbi laboris taedium ceperat. Et in hoc quidem carmine, quod XXXII versibus constat, vix unus vel alter versus labis est immunis, ceteri omnes vel mutili vel variis vitiis inquinati. Ac multa sane peccata levia sunt, ut certam medicinam adhibere liceat, sed alii loci tam graviter sunt corrupti, ut nec interpretatio nec emendatio recte procedat. Itaque ubi verum indagare non potui, ubi iterum iterumque meditanti complures viae patebant, posui id, quod saltem non plane improbabile videretur, ac valde laetabor si in his locis, ubi omne auxilium in divinatione positum est, alii

me feliciores meos errores corrigant atque carminis perpoliendi periculum, quod inchoavi, pro viribus absolvant.

Iam adscribo Theocriti carmen, quemadmodum mihi restituendum videtur; infra autem subieci sicut in codice legitur, quantum quidem typographus obtemperavit.

Ὤιαι τῶ χαλεπῶ καἰνομόρω τῶδε νοσήματος·
Τετορταῖος ἔχει παῖδος ἔρως μῆνά με δεύτερον,
Κάλω μὲν μετρίως, ἀλλ' ὁπόσον τῷ παϊδὶ πρέπει.
Καὶ νῦν μὲν τὸ κακὸν ταῖς μὲν ἔχει, ταῖσι δέ μ' οὐκέτι.
Τᾶς γᾶς τοῦτο χάρις· ταῖς δὲ παραύαις γλυκὺ μειδίαι.
Τάχα δ' οὐδ' ὅσον ὕπνω 'πιτύχην ἔσσετ' ἐρωΐα.
Ἐχθὲς γὰρ παριὼν ἔδρακε λόξ' ἄμμε δι' ὀφρύων.
Αἰδεσθεὶς ποτίδην ἀντίος, ἠρεύθετο δὲ χρόα.
Ἔμεθεν δὲ πλέον τᾶς κραδίας ὤ̈ρος ἐδράξατο.
Εἰς οἶκον δ' ἀπέβαν ἕλκος ἔχων καὶ τεθολωμένος.
Πολλὰ δ' εἰςκαλέσας θυμὸν ἐμαυτῷ διελεξάμαν·
Τί δὴ τοῦτ' ἐπόησ'; ἀλοσύνας τί ἔσχατον ἔσσεται;
Λεύκας οὐκ οἴδησθ', ὅττι φόρεις ἐν κροτάφοις τρίας;
Ὡρά τοι φρονέειν μὴ οὔ τι νέος τὰν ἰδέαν πέλῃ.
Πάντ' ἕρδ', ὅσσαπερ οἱ τῶν ἐτέων ἄρτι γεγευμένοι.
Καὶ μὰν ἄλλος ἐλάσθη· τὸ δ' ἄρ' ἦς λώϊον, ἔμμεναι

Καὶ τῶ χαλεπῶ κάινομόρω τιῶδε νοσήματος
τετορταῖς ἔχει παῖδα ἔρως μῆνα δεύτερον
κάλω μὲν μετρίως ἀλλ' ὁπόσον τῶ παιδὶ περιέχει
καὶ νῦν μὲν τὸ κακὸν ταῖς μὲν ἔχει ταῖς δ' οὔ.
τᾶς γᾶς τοῦτο χάρις. ταῖς δὲ π϶ αύλαις γλυκὺ μειδίαμȣ
τάχα δ' οὐδ' ὅσον ὕπνω πίτυχην ἔσσετ' ἐρωΐα
ἐχθὲς γὰρ παριὼν ἔδρακε λεπτὰ μελιφρύγων
αἰδεσθεὶς ποτίδην ἀντίος ἠρεύθετο δὲ χρόα
ἔμεθεν δὲ πλέον τᾶς καρδίας σωρὸς ἐδράξατο
εἰς οἶκον δ' ἀπέβαν ἕλκος ἔχων καὶ τὸ
πολλὰ δ' εἰςκαλέσας θυμὸν ἐμαυτοῦ διέλεξε
τὶ δὴ ταῦτ' ἐπόησ ἀλοσύνας · τί ἔσχατον ἔσεται
λεύκας οὐκ ἐπῢσθησθ' ὅτι φόροις ἐν κροτάφοις τρία
ὧρα τοι φρονέσιν μὴ . . . ι νέος τὰν ἰδέαν πέλη
πάντ' ἔρδ' ὅσσα περ οἱ τῶν ἐτέων ἄρτια γεγευμένοι
καὶ μὰν ἄλλος ἐλάθειτο δ' ἄρης λώϊον ἔμμεναι

Ξεῖνον τῶν χαλεπῶν παιδὸς ἔραντι προγενεστέρῳ.
Τῷ μὲν γὰρ βίος ἔρπει προγόνοις ἴσ' ἐλάφω θοᾶς,
Τλάσεται δ' ἐτέρυι ποντοπόρην αὔριον ἀμέραν,
Οὐδ' αὐτῷ γλυκερᾶς ἄνθεμον ἄβας πεδ' ὑμαλίκων
Μέλει · τῷ δ' ὁ πόθος κατ τὸν ἔσω μυελὸν ἐσθίει
Ὀμμιμνασκομένῳ · πολλὰ δ' ὄρη νυκτὸς ἐνύπνια.
Παύσασθαι δ' ἐνιαυτὸς χαλεπᾶς οὐκὶ δύας ἄλις.
Ταῦτα χἄτερα πολλὰ προτ' ἐμὸν θυμὸν ἐμεμψάμαν.
Ὁ δὲ τοῦτ' ἔφατ' · ὄττις δοκίμοι τὸν δολομάχανον
Νικάσειν ἔρον, οὗτος δοκίμοι τοὶς ὑπὲρ ἄμμεων
Μετρεῖν βραϊδίως ἀστέρας, ὀπποσσάκι μεὶς νέα.
Καὶ νῦν εἴτ' ἐθέλω, χρή με μακρὸν σχόντα τὸν ἄμφενα
Ἕλκειν τὸν ζυγόν, εἴτ' οὐκ ἐθέλω · ταῦτα γὰρ ὤγαθος
Βούλεται θέος, ὃς καὶ Διὸς ἔσφαλε μέγαν νόον
Καὔτας Κυπρογενήας · ἔμε μὰν φίλον ἐπάμερον
Σμίκρας δεύμενον αὔρας ἀνέμων οὐ δίκαιον φορεῖν;

ξεῖνον τῶν χαλεπῶν παιδὸς ἔραν ·
τῶ μὲν γὲρ βίος ἔρπε ρωὶ σαγόνοις ἐλάφω θοαῖς
δλάσει δ' ἑτέρα ποντοπόρην αὔριον ἀμέραν
οὐ δ' αυ^τ' γλυκερᾶς ἀνθεμονάβας πεδιμαλικω
μένει τῶ δ' ὁπόθον καὶ τὸν ἔσω μιελὸν ἐσθίει
ὄμμι μνασκομένω πολλά δ' ὄρη νυκτὸς ἐνύπνιȣ
ταύσασθ' δ' ἐνιαυτὸς οὐ χαλεπαὶ οὔχὶ
ταῦτα χ' ἄτερα πολλὰ ποτ' ἐμὸν θυμὸν ἐμεμψάμαν
ὁ δὲ τοῦτ' ἔφτ' ὄτις δοκεῖ μοι τὸν δολομάχανον
νικάσειν ἔρον · οὗτος δοκεῖ μοι τᾶς ὑπὲρ ἄμμ'
εὐρεῖν βραδίως ἀστέρας ὀπποσάκιννενν εὐνέα
καὶ νῦν εἴτε θέλω. χρὴ με μακρὸν ἔχοντα τὸν ἄμφενα
ἕλκειν τὸν ζυγὸν · εἴτ' οὐκ ἐθέλω ταῦτα γὰρ ὦγα θέος
βούλεται θέοσος καὶ διὸς ἔσφαλε μέγαν νόον
καὔτας κυπρογενῆας ἔμε μὰν φίλον ἐπάμερον
σμίκρας δευόμενον ἄυρας ὁ μέλλων αἶκα φορεῖ.

Religiose quantum licuit codicis Ambrosiani scripturas servavi, neque Aeolicum sermonem ad aequabilem legem revocare studui, praesertim cum nonnulla etiamnunc parum explorata sint; itaque etiam gravem accentum, quem liber ille passim exhibet, quemque alii codices in duobus carminibus quae praecedunt saepius tuentur, iis tantum locis, ubi codicis fide nititur, adhibui,

quamquam certum est, hanc inconstantiam a poeta alienam esse.[2]) Ceterum illud praemunio, Theocritum, quamquam Alcaei et Sapphus carmina imitatus sit, tamen Aeolensium dialectum fere eam adhibuisse, quali tunc Lesbii et finitimae civitates utebantur: itaque consentaneum est Theocriti sermonem aliquantum discrepare ab antiquorum poetarum usu, velut nusquam littera Bau utitur, quoniam tunc apud Aeolenses iam exoleta fuit. At Balbilla, cum doctae mulieris laudem affectans epigrammata conderet, Aeolicum sermonem ex libris et grammaticorum praeceptis didicit, nisi forte graecus aliquis rhetor vel grammaticus itineris comes ambitiosae feminae haec ipsa epigrammata suppeditavit.

V. 1. *ᾦαι* scripsi, in codice legitur *καὶ*, pronum fuit *αἰαῖ* scribere, ego illud praetuli secutus Apollonium de adverb. p. 537 extr.: *καθάπερ οὖν τῷ πόποι τὸ παπαὶ παράκειται καὶ τῷ ὀτοτοὶ τὸ ἀταταί, οὕτως καὶ τῷ ὠοιοὶ τὸ ὠαιαί, ὅπερ συναλειφθὲν καὶ ἐν βαρείᾳ τάσει γινόμενον παρ᾽ Αἰολεῦσιν ἔστιν ᾦαι· διότι καὶ τὸ ῑ πρόσκειται κράσεως γενομένης καὶ προσλήψεως.*

V. 2. emendatio certa,[3]) dicit enim poeta se pueri amore iam secundum mensem tanquam febri (*πυρετῷ τεταρταίῳ*) laborare, neque quisquam dubitabit, quin recte v. proximo Ambrosiani libri scripturam *τῶ παιδὶ περιέχει* correxerim in hunc modum *τῷ παϊδὶ πρέπει*: hoc enim dicit Theocritus, puero mediocrem esse formae decorem, sed eum, qui puero conveniat. *Παϊδὶ* trisyllabum hic esse apparet, quamvis modo *παῖδος* coalescentibus vocalibus poeta usurpaverit: sane diaeresis potissimum in recto casu et fortasse in vocativo, item in accusativo *πάϊν*[4]) servata est, cum ei casus, in quibus *Δ* clausulam antecedit, principalem speciem mature oblitteraverint; neque tamen his formis diaeresis abiudicanda, quae Ahrensii sententia videtur esse (p. 105), sed quemadmodum apud Homerum est *δαΐδων ὕπο λαμπομενάων* et *αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχοντες*, eodem pacto licuit Theocrito *παϊδί* (*πάϊδι*) dicere. Pro *μετρίως*

---

[2]) Ahrensii vero miror inconstantiam, qui et in appendice libri de Aeolensium dialecto (unde etiam Meinecke haec ascivit) et in novissima Theocriti editione, cum omnia aequabiliter ad Aeolicos tenores revocare vellet, tamen compluribus locis vulgarem accentus legem servaverit: sunt sane quaedam formae, de quarum pronuntiatione apud Aeoles valde anceps haereo, sed *κἤγω*, *αὔτος*, *καλιὰν*, *καλὸν*, *εὔθὶς*, *ἀνδρῶν*, *ἀεὶ*, *ἀγαθὸς*, *ἀστῶν*, *χαλεπῶς*, *μαλθακὸν*, *ῥυσσοὶ*, *συλλαβεῖν*, *θυμῷ*, *χαλεπῶ*, quae in carmine XXIX reliquit Ahrens, non sunt dubia.

[3]) *Μῆνα* codex habet, eodemque modo scribitur in titulo Cymaeo, vid. Ahrens I. 51, et in Balbillae epigrammate, sed in inscriptione Lesbia *μῆννος* extat, item in alia apud Conzium iter Lesbiacum VI. 1 *τὰν δὲ δίκαν ἔμμεναι επειδε ωνιαυτως* (*ἐπείδη ὠνίαυτος*) *ἐξέλθῃ ἐν ἓξ μήννεσι* (vel *μήννεσσι*). Geminatio quamvis rationem habeat, tamen post vocalem productam cum non satis percipi possit, alias negligi solet: sin retinetur, vocalis corripitur: itaque in titulo Lesbio apud Boeckhium 2167 est *Ζόννυξος*, item in alio apud Conzium IX. 1. *Ζοννύξῳ* et deinceps *Ζοννύσω*, sed apud Aristotelem in Problem. recens editis II. 87 *Ζώννυσος* scribitur. Neque tamen hanc legem ubique servabant, id quod arguunt exempla, quae congessit Ahrens I. 61 et 62, in quibus plerumque geminatione praeter rationem ascita, servata est longa vocalis, velut *προαγρημμένω*, *φίλημμι*, alia id genus. Heraclides autem grammaticus, quem minus recte reprehendit Ahrens I. 60, cum *φίλεμμι*, *πόθεμμι* scripsit, legem illam observavit.

[4]) Contracta forma *παῖ* non solum apud Theocritum, sed etiam apud Alcaeum et Sapphonem exstat. Memorabile est apud Conzium t. IV. 2 legi *Βιτὼ Σωσία πάεις.*

veterum Aeolensium more *μετέρως* dici oportebat, nam quamvis Et. M. p. 567, 12 unam tantum formam *μέτερρος* exhibeat, tamen verisimile est Aeolenses hic quoque, ubi usus veniret, geminationem non curavisse; grammatici sane tantum *Πέρραμον* et *κόπερρα* agnoscunt, vid. testimonia ap. Ahrensium p. 56, nam *κόπερα* et *Πέραμος* librariorum mendae sunt, sed *ἀλλότερος*, quoniam cum *ἡμέτερος* componitur, non est mutandum, recteque puto veteres grammaticos hoc cum *ἀλλότριος* composuisse, quamvis secus visum sit Ahrensio: licuit igitur etiam Theocrito *μετέρως* dicere, nolui tamen hoc restituere, nam ille sequitur multis locis Aeolici sermonis consuetudinem, quae suo saeculo vigebat.[5])

V. 4. sententia plana, restitutio incerta: hoc enim poeta dixit, se modo hoc malo vexari, modo liberum esse a morbo. Quod si satis auctoritatis haberet forma *οὐτί* (quam Etym. M. 638. 47: *οὐτὶ καὶ οὐχὶ καὶ οὐκὶ* memorat, neque finxisse videtur citra necessitatem), posset versus commode in hunc modum redintegrari: *καὶ νῦν μὲν τὸ κακὸν ταῖς μὲν ἔχει, ταῖς δ' οὐτί μ' ἁμέραις* diphthongo correpta; interim ut aliquod ferrem auxilium *ταῖς μὲν ἔχει, ταῖσι δέ μ' οὐκέτι* scripsi, nam *ἁμέραις* ut addatur non est necessarium: sed possunt alia tentari.[6])

V. 5. *Τᾶς γᾶς τοῦτο χάρις,* haec verba si vitii immunia sunt, significant: *terra haec mihi hoc malum gratificata est:* poterat ita poeta dicere, si hospes in aliena civitate commoratus in amorem quemadmodum in febrem incidit: duriusculum tamen, quod continuo ipsius pueri decor describitur, quo se totum irretitum esse profitetur, si recte emendavi *ταῖς δὲ παρραύαις γλυκὺ μειδίαι,* nec tamen video, quo pacto lenius aut probabilius possint verba quae sequuntur depravata corrigi. De Aeolica forma *παραύα* dixit Ahrens p. 36.

V. 6. plane integer est servatus, nam *ἐρωΐα*, quamquam alibi non legitur, nihil aliud est, quam *ἐρωή*, atque haud scio an Hesychii glossa *ἐρωΐα· ἐρωμένη* huc spectet, ut *ἐρωή* corrigendum sit. Ceterum apparet rectius *ἐρῳή* scribi, quam *ἐρωή*, ut nunc solet.

V. 7. pueri superbiam descripsit poeta, nec tamen certa vitii emendatio in promtu est: verba corrupta *ἔδρακε λεπτὰ μελιφρύγων* cum appareat iis, quae sequuntur *αἰδεσθεὶς ποτίδην ἀντίος*, ex adverso posita esse, scripsi *ἔδρακε λόξ' ἄμμε δι' ὀφρύων*, fere ut est in Theocriti carmine XX (quod Bionis esse suspicor) v. 12: *καί μ' ἀπὸ τᾶς κεφαλᾶς ποτὶ τὼ πόδε σύνεχες εἶδε χείλεσι μυχθίζοισα καὶ ὄμμασι λοξὰ βλέποισα.* Quod additur *δι' ὀφρύων*, nihil aliud est quam quod pedestri sermone *μετ' ὀφρύος* dici solet.[7])

V. 8. *Αἰδεσθεὶς ποτίδην ἀντίος* in memoriam revocat Moschi locum IV. 115: *κεῖται δ' ὅγ' ἐπὶ χθονὸς ἔμπεδον αὔτως. εἰσόκε τις χειρὸς μιν ἀνειρύσσῃ παριόντων αἰδεσθεὶς ὄπιδα προτέρην πολιοῖο γενείου,* ubi ante multos annos *προτορῆν* correxi; nam quod olim Iacobsius proposuit *κρατερὴν* aut quod Ahrens nuper commendavit *τρομερὴν* vix quisquam probabit.

V. 9. *ὦρος* scripsi: i. e. *ὁ ἔρος*, cum in Ambrosiano libro sit *σωρός*, quamquam fortasse satius erat psilosin restituere, quemadmodum infra v. 29 *ὠγαθὸς* sive potius *ὤγαθος* in libri

[5]) In Balbillae epigrammate 23, 2. *ἀλλοτρίως* legitur, si recte est ille versus instauratus.

[6]) Possis *ταῖσι δέ μ' οὐκ ἔχει* scribere, sed minus placet.

[7]) Fortasse servanda fuit littera, quam codex exhibet, *δι' ὀφρύγων*, sed nolui nimis incerta sectari.

scriptura delitescit ὤγα θέος. Veteres Aeoles videntur etiam in articulo leni spiritu usi esse, hinc apud Sapph. Fr. 53 ex libris restitui πλήρης μὲν ἐφαίνετ' ἀ σελάνα. Itaque etiam Balbilla, quae ex grammaticorum praeceptis et Lesbiorum poetarum libris Aeolici sermonis usum didicit, scripsit κὼ Μέμνων τρέσσαις et Βάλβιλλός τ' ὀ σόφος. nec non ad idem exemplum γρόππατα σαμαίνοντά τ' ὄσ' εὔιδε κὤσσ' ἐσάκουσε. vid. epigrammata apud Ahrensium II. 578 seqq. Theocritus quid secutus sit, sane incertum: nam ascivit poeta potissimum sermonem, quo tunc Aeoles utebantur, qui fortasse etiam hac in parte iam communi consuetudini se accommodaverant.

V. 10. versu extremo, quid olim scriptum fuerit, vix licet divinare; ut versum redintegrarem καὶ τεθολωμένος scripsi, sed v. 11 haud cunctanter ἐμαυτῷ διελεξάμαν correxi, in Ambr. est ἐμαυτοῦ διέλεξε. Sappho sane Fr. 86 Ζὰ δ' ἐλεξάμαν ὄναρ Κυπρογενήᾳ scripsit, sed I. 12 αἴθερος διὰ μέσσω, Fr. 4 δι' ὔσδων, 14 διάμειπτον legitur, nisi forte ibi quoque ζάμειπτον restituendum: sed II. 6 καρδίαν dixit, quamvis Aeolenses κάρζαν enuntiavisse auctor sit gramm. Et. M. 407. 21. Theocrito olim primus restitui XXIX, 5 ζὰ τὰν σὰν ἰδέαν confirmatum etiam librorum auctoritate, sed idem καρδίαν dixit ib. v. 4 et in hoc carmine v. 9.

V. 12. in libro Ambrosiano verba sic distincta sunt τὶ δὴ ταῦτ' ἐπόης ἀλοσύνας· τί ἔσχατον ἔσεται, sed librarium fefellit verborum traiectio, itaque ἀλοσύνας cum prioribus iunxit; de explicatione vocabuli ambigo. Apud Hesychium est ἀλοσύνα· ἡδονή, ubi corrigunt ἀδοσύνα, atque idem supra exhibet ἀδοσύνα· ἡδονή, mihi tamen ista correctio haud necessaria videtur; nam alias quoque litterae Δ et Λ permutantur. Hoc igitur vocabulum si Theocritus usurpavit, sententia est: *quis deliciarum erit finis:* sed nescio an potius referendum sit ad adiectivum ἠλός sive ἠλεός, quod Aeolensibus fuit ἄλλος sive ἄλλος, ut iam olim ostendi, probante Ahrensio p. 57; inde descendit nomen ἠλοσύνη, quo vocabulo utitur Nicander Alexiph. 415: Μηδὲ συοσκυάμῳ τις ἀϊδρήεντα κορέσκοι Νηδύν, οἷά τε πολλὰ παρασφαλέες τεύχονται, Ἠὲ νέον σπείρημα καὶ ἀμφίκρηνα κομάων Κοῦροι ἀπειπάμενοι ὀλοήν θ' ἑρπηδόνα γυίων Ὀρθόποδες βαίνοντες ἄνευ σμυγεροῖο τιθήνης Ἠλοσύνῃ βρύκωσι κακανθήεντας ὀράμνους, ita unus liber, ceteri ἀλοσύνῃ, id igitur Aeolensium more ἀλλοσύνας scribi oportebat, ut hoc dixerit poeta: *quis tandem stultitiae erit finis?* Atque mihi quidem videtur etiam adiectivo usus esse Theocritus XXVII, 1 (sive potius Bion, huic enim poetae carmen vindicandum censeo): τὰν πιννυτὰν Ἑλέναν Πάρις ἥρπασε βουκόλος ἄλλος (sive ἄλλος), cuius versus acumen latuit interpretes, hoc enim dicit: *prudentem Helenam stultus pastor abduxit.* — Quod Theocritus scripsit τί ἔσχατον ἔσσεται, non tam coalescunt vocales, quam aphaeresin agnosco, ut sit τί 'σχατον, Aeolenses enim quemadmodum per synizesin saepius quam alii duo vocabula conglutinant, ita etiam aphaeresi haud raro usi videntur, quemadmodum supra v. 7 ὕπνω 'πιτύχην, Balbilla Αἰθόμενον φώνην Θηβαϊκῶ 'πὺ λίθω, et rursus Ἔκλυον αὐδήσαντος ἔγω 'πὺ λίθω Βάλβιλλα.

V. 13. dubitanter scripsi οὐκ ὄϊδησθ', latet fortasse aliud quid in codicis scriptura, sed οὐ συνέτησθ' quod quis proponere possit, quemadmodum est apud Alcaeum Fr. 18, 1 ἀσυνέτημι, apud Hippocratem συνετέω, minus aptum neque propius ad litterarum vestigia accedit. Formam

οἴδημι non solum Etym. M. 618, 56 testatur: *οἶδα Αἰολικῶς οἴδημι λέγεται, τὸ δεύτερον οἴδης καὶ κατ' ἐπέκτασιν οἴδησθα καὶ συγκοπῇ οἶσθα*, sed etiam Hesychius *Γοίδημι· ἐπίσταμαι.* Diaeresin tuetur Alcaeus, vid. Herodian. *π. μον. λέξ.* p. 24, 6: *οἱ περὶ τὸν Ἀλκαῖον λέγουσι ὄϊδα τρισυλλάβως.* Cum forma *ὄϊδησθα* componi potest *φίλησθα* Sapphus Fr. 23 et *ποθόρησθα*, quod Theocritus VI. 8 usurpavit: disparis generis est in aeolico poemate XXIX. 4 *ἐθέλησθα* (ubi Ahrens non recte *ἐθέλεισθα* scripsit), ibi enim longa vocalis ratione caret, vide quae adnotavi ad Sapphus Fr. 22 ed. III. Sed ut haec correctio incerta sit, *τρίας* haud cunctanter quamvis sine exemplo scripsi: prorsus enim rationi convenit haec forma.[8]) Aeoles autem in numeralibus etiam alia peculiaria servaverunt, velut Alcaeus Fr. 33, 7 *παχέων ἀπὺ πέμπων*, et fr. 75 *εἷς τῶν δυςκαιδέκων* dixit. Item Sapphoni fr. 37 vindicavi *δύσι πάχεσι*, qua forma usus est etiam Theocritus ap. Et. M. p. 290, 54., cuius verba ex epigrammate ut videtur sumpta sic scribenda puto:

Ἐν οὐχὶ ἐνὶ μοῦνον,
Ἀλλ' ὁτὲ μὲν δυσὶ κεῖτ', ἄλλοτε δὲ πλέοσιν.

Deinde *φόρεις* scripsi, in libro Ambrosiano est *φόροις*, unde etiam *φόρης* possis petere. Apollonius Dyscolus solam hanc formam agnoscit; antiquorum exemplorum fides eam formam haud dubie tuebatur, paucis locis comparebat vulgaris species, velut ap. Alcaeum Fr. 3, 1: *Χαῖρε Κυλλάνας ὁ μέδεις* et Fr. 49: *Ἀχίλλευ, ὁ τᾶς Σκυθίκας μέδεις*, haec cum Apollonius homo religiosus non auderet immutare, adversante sermonis graeci usu participium (*ὁ μέδεις*) commentus est. Quod in reliquiis Aeolicorum poetarum, quae supersunt, raro *ης* comparet, multo frequentius *εις* legitur, ex librariorum socordia repetendum est, qui vulgares formas substituerunt. Antiqua autem exempla, quibus Alexandrini grammatici usi sunt, quando *ης* exhibebant, consentaneum est ea aetate, qua scriptura antiqua cessit recentiori, Aeolenses *ης* pronuntiare solitos esse, sed haec recentior lingua fortasse ab antiqua consuetudine degeneraverat. In antiquissimis exemplis fuit haud dubie *ΕΣ* scriptum, quod quomodo elocuti sint veteres Aeoles, nescimus: hoc cum ambiguum esset, utrum *εις* an *ης* valeret, librarii hoc ipsum *ης* praetulerunt, quoniam recentiores Aeoles ita loquebantur. Dixi de hac re ad Alcaei Fr. 3 ed. tertiae. Iam

---

[8]) Aeoles *τρῆς* non *τρεῖς* dixisse Choeroboscus in Cram. An. Ox. II, 267. 10 dicit, tamen vulgaris forma legitur in titulo apud Conzium t. XII. A. 30. Ceterum recentiores Aeoles videntur passim vocali $\overline{\eta}$ loco simplicis litterae $\overline{\iota}$ usi esse; nam cum multis in verbis $\overline{\eta}$, non $\overline{\varepsilon\iota}$ usurparent, tum etiam vocalem $\overline{\iota}$ longam, cuius loco illis saeculis saepe *ει* scribere solebant, ad eundem modum cedere iusserunt litterae $\overline{\eta}$, velut dixerunt, si grammaticis fides habenda est (Ahrens I. p. 95) *ἀκτῆνες*, non *ἀκτῖνες* (*ἀκτεῖνες*): item huc pertinet quod Bacchus, qui *Βρισαῖος* vel *Βρισεὺς* nuncupari solebat, etiam *Βρησσαῖος* dictus est, vid. Hesych., quod etiam titulus apud Conzium t. XVII. 1 confirmat, ubi legitur: (*Ἀ β*)*όλλα καὶ ὁ δᾶμος Βρῆσον Βρήσω ἀρχίατρον*: ita enim novissimum vocabulum scribendum, hinc etiam Bresus ille praeter alia munera, quibus functus est, fuit *ἱεροκᾶρυξ τῶν ἱερέων ζακόρων σαώτηρος Ἀσκληπίω*, et quod idem per quadraginta annos gratis operam praestitisse dicitur: *καὶ τῶν τᾶς πόλιος εἴρων ἱεροθύταν, καὶ* [*καὶ*] *περιηγήταν, ἔτεων ἤδη τεσσαράκοντα καὶ πρὸς ἄνευ συντάξιος καὶ μίσθον οἷ Σ . . Σ οἱ πρὸ αὔτω*, haec liberalitatis laus potissimum ad archiatri munus videtur referenda esse.

quaeritur quid Theocritus secutus sit. Si haec recte disputata sunt, hunc poetam ης praeoptavisse consentaneum est, atque ad hunc modum dixit XXIX. 4 ἐθέλησθα, quod omnes libri tuentur, contra in Sapphus Fr. 22 ἔχεισθα extat. Libri tamen fere adversantur, nam XXVIII. v. 10 extat ἐκτελέσεις, v. 21 οἰκήσεις, XXIX. v. 14 ἔχεις, v. 19 δοκέεις (K2 δόκεις exhibet, fortasse Theocritus δοκίμοις scripserat): fluctuat scriptura v. 36 ἐνοχλεῖς, ubi c ἐνοχλῇς. Aliis locis, ubi haec forma legitur, omnino est repudianda, velut v. 33:

ἀνίκα τὰν γένυν ἀνδρεΐαν ἔχεις.

hic enim omnino coniunctivus ἔχῃς requiritur, atque Porti codex ἔχῃς exhibet. Item suspecti sunt indicativi v. 35:

Αἰ δὲ ταῦτα φέρειν ἀνέμοισιν ἐπιτρόπεις,
Ἐκ θυμῶ δὲ λέγεις.

multo rectius enim ἐπιτρόπῃς (vel potius ἐπιτρέπῃς)[9] et λέγῃς scripseris, (ac λέγῃς codex c suppeditat, pro ἐπιτρόπεις alii libri ἐπιτρόποις, ἐπιτρόπις, ἐπιτρέποις), quemadmodum est v. 21 αἰ γάρ ὧδε πόῃς. Legitur tamen indicativi terminatio ης v. 10 ἐξ ἑτέρω δ' ἕτερον μάτης, sed lectio satis incerta, fortasse poeta μάῃ scripserat. Certius exemplum praebere mihi visus est v. 7, ubi vulgo legitur:

Χὤταν μὲν τὺ θέλῃς, μακάρεσσιν ἴσαν ἄγω
Ἀμέραν, ὄκα δ' οὐκ ἐθέλῃς τύ, μάλ' ἐν σκότῳ.

ubi cum intellexissem ὅταν pariter atque ὄκα ab aeolici sermonis proprietate abhorrere, iam ante triginta annos correxi χὤτα μὲν τὺ θέλῃς et ὄτα δ' οὐκ ἐθέλῃς, pariterque 39 τότα pro τόκα scripsi,[10]) idque etiamnunc teneo, sed coniunctivum retinere satius est; libri hic quoque variant admodum, nam priore versu, θέλῃς, θέλῃς, θέλεις exhibent, altero inter ἐθέλῃς et ἐθέλεις fluctuant. Facile apparet, quam exigua in his rebus codicum Theocriteorum sit fides. Neque mirum est diversas formas permutatas esse, si quidem Aeolenses coniunctivo iota vulgo

---

[9]) De forma ἐπιτροπέω dixit Lobeck ad Phrynichum p. 590, sed vulgarem formam etiam Nonni imitatio videtur commendare. Ceterum hi duo versus post v. 38 sunt collocandi, id quod iam dudum observavi, postea etiam Meinekius suasit.

[10]) Etiam Ahrens in novissima Theocriti editione χὤτα μὲν σὺ θέλεις et v. 8. ὄτα legendum proposuit, sed v. 39 τόκα intactum reliquit, cum olim de dial. Aeol. p. 153 haec omnino non tentanda censuisset. Attigit nuper haec etiam Hugo Weber in commentatione, in qua docte et subtiliter disseruit de dorica particula κά p. 22, qui quidem in illo Theocriti versu χὤταν μὲν σὺ θέλεις scribere mavult, quippe cum Aeoles etiam ὄταν pro ὄτα sive ὄτε dixisse videantur; non equidem hoc nego, atque ipse suspicatus sum in edit. III. poett. Lyr. apud Pindarum Isthm. I. 24: καὶ λιθίνοις ὁπόταν δίσκοις ἴεν i. e. καὶ λιθίνους ὁπότε δίσκους ἴεν scribendum esse. Sed apud Theocritum illud χὤταν mihi ex librariorum errore profectum videtur. Omnino autem a Webero, qui particulam κάν, quam ipse primus indagavi, ubique fere restituendam esse censet, haud raro dissentio: videtur enim mihi vir doctissimus non satis curavisse id, quod Aristoteles philosophis de re publica disserentibus suasit: τὸ λίαν ἑνοῦν ζητεῖν τὴν πόλιν, οὐκ ἔστιν ἄμεινον, etiam grammaticis vel maxime convenire.

detrahebant,[11]) ut λέγης pariter indicativi atque coniunctivi esse possit. Ceterum secundae personae formas in titulis nusquam comparere valde est dolendum.

V. 14. ὤρα cum liber Ambrosianus praebeat, non mutavi accentum, nam aliis quoque in vocabulis hanc correptionem admiserunt Aeoles; neque enim moror Ioh. Gramm. (vid. Ahrens I. 12 not.), qui Aeolensibus vulgarem formam ὥρα tribuit, quoniam idem tradit Aeolensium esse Ἀφροδίτα, cum illos Ἀφρόδιτα dixisse locupletum testium auctoritas evincat. Deinde φρονέειν (liber φρονέσιν) scripsi, quamquam ratio φρονέην flagitat. In hoc quidem carmine iustae formae servatae sunt v. 6 ἐπιτύχην, v. 8 ποτίδην, v. 19 ποντοπόρην, at vulgares leguntur v. 26 νικάσειν, v. 27 εὑρεῖν, v. 29 ἕλκειν et si verum assecutus sum v. 32 φορεῖ(ν). Ceterum fides librarii in hoc carmine describendo etiam hic apparet, siquidem tribus locis germanas formas tuitus est, nam in carm. XXIX., cuius plura supersunt apographa, ubique vulgares formae substitutae sunt, v. 4 φιλέειν, v. 19 πνέειν, v. 20 et 28 ἔχειν (v. 28 in uno libro olim fuit opinor ἔχην, unde vitiosa scriptura ἔχνειν repetenda), v. 30 συλλαβεῖν, v. 31 πέλειν, v. 35 φέρειν. — In eodem versu litteras detritas sententia ipsa suadente redintegravi μή ο ὔ τ ι νέος τὰν ἰδέαν πέλῃ, item v. 15. ἄ ρ τ ι scripsi, cum in codice sit ἄρτια. Atque etiam v. 16 et 17, quamvis mutilos et corruptos, ita mihi videor restituisse, ut nihil dubitationis relinquatur. Forma ἐλάσθη ipse Theocritus etiam II. 45 usus est: τόσσον ἔχοι λάθας, ὅσσον πόκα Θησέα φαντὶ Ἐν Δίᾳ λασθῆμεν ἐϋπλοκάμω Ἀριάδνας. Neque ἧς mutare ausim, quamquam in Sapphus fr. 106: Οὐ γὰρ ἦν ἑτέρα πάϊς vulgo legitur. Haec autem huius loci sententia est: *satius est ei, qui aetate provectior puerum amet, liberum esse ab his laboribus et aerumnis.* Ξεῖνος[12]) enim hic dicitur qui expers est alicuius rei, velut est apud Soph. Oed. Reg. 219 ἀγὼ ξένος μὲν τοῦ λόγου τοῦδ' ἐξερῶ, ξένος δὲ τοῦ πραχθέντος.

Sequitur v. 18 omnium corruptissimus, de quo restituendo despero, quamquam plura divinari possunt. Videtur puer iuventae flore gaudens et securus cum hinnulo componi, qui ludibundus huc illuc vagatur: similis in ipsa dissimilitudine est comparatio, qua Anacreon utitur Fr. 52 ἀγανῶς, οἷά τε νεβρὸν νεοθηλέα γαλαθηνόν, ὅστ' ἐν ὕλης κεροέσσης ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη. Itaque scripsi τ ῷ μ ὲ ν γ ὰ ρ β ί ο ς ἕ ρ π ε ι π ρ ο γ ό ν ο ι ς ἴ σ' ἐ λ ά φ ω θ ο ᾶ ς. — V. 19 τ λ ά σ ε τ α ι δ' ἐ τ έ ρ υ ι correxi, quod in libro est δλάσει δ' ἑτέρα. De adverbio ἐτέρυι vel ἀτέρυι dixit Ahrens I. 154., quamquam etiam ἑτέρᾳ hic ferri potest. Neque spiritum asperum αὔριον toleravi, qui haud dubie ex librarii negligentia profectus est.

V. 20—22 emendatio certa, nisi forte quis v. 21 particulam καί, cuius loco κατ scripsi, tueri malit. Ibidem dedi μυελὸν, quemadmodum est apud ipsum Theocritum XXVIII, 18: νάσω Τρινακρίας μύελον, nam quod in libro Ambrosiano μιελὸν legitur, scribentis error est,

---

[11]) Argumento sunt inscriptiones, id quod praeterea, quae iam Ahrens p. 130 adnotavit, alii tituli nuper reperti confirmant, velut est apud Conzium t. IV. 3 ὅ κε θέλῃ θύην ἐπὶ τῷ βώμω... θυέτω ἰρήιον ὄττι κε θέλῃ. t. XII, A. 17 καταψαφίσθῃ, 21 κατάγῃ, εἴπῃ, πρόθῃ. Sed t. VI. 1 ἔξέλθῃ scriptum extat.

[12]) Forma ξεῖνος etiam legitur supra XXVIII, 5, sed ibidem v. 23 ξένος. Priore versu Ahrens ξέννος ex coniectura scripsit.

quemadmodum supra πεδομαλικῶ scriptum, ubi πεδ' ὑμαλίκων debebat: nisi forte Aeoles μυίελον olim dixerunt. V. 22 singularis est forma ὄρη, siquidem alias apud Aeoles tertia persona etiam eorum verborum, quorum prima est ημι, in ει cadere solet, velut Sappho Fr. I, v. 23 φίλει, Fr. 17 κάλει dixit, cum φίλημι et κάλημι dicere sit solita. Nec tamen propterea ὄρη immutare ausim: fortasse Aeolensium sermo fluctuabat; cf. etiam Cram. An. Ox. IV. 352, 14: οἱ Αἰολεῖς ἀποβολῇ τοῦ ς ἐπὶ τούτων τὰ τρίτα ποιοῦσιν, οἷον τίθης, τίθη ἵστης, ἵστη, δίδως, δίδω, ζεύγνυς, ζεύγνυ, quamquam largior huius testimonii exiguam esse fidem. At v. 23 quomodo restituendus sit, ambigo, quamquam instituta sententia quid requirat, non est obscurum: scripsi igitur παύσασθαι δ' ἐνιαυτὸς χαλεπᾶς οὐκὶ (δύας ἄλις), cum antea tentassem χαλεπᾶς οὐκ ἴκανος νόσω. Ceterum οὐ, quod post ἐνιαυτὸς in codice legitur, ab ipso librario est expunctum.

Neque difficile fuit proximis versibus pristinum nitorem reddere, v. 24 προτ' ipsa versus lex requirit, v. 25 et 26 δοκίμοι latere in libri scriptura δοκεῖ μοι manifestum est; simili errore apud Herodiaum π. μον. λέξ. 7, 28 in Sapphus versu δοκεῖ μοι ὠρανῶ legitur, ubi δοκίμοιμ' ὀράνω restitui. Quod deinde scripsi τοὶς ὑπὲρ ἄμμεων μετρεῖν βραΐδίως ἀστέρας, fortasse alii tuebuntur εὑρεῖν, mihi interpretandi argutiis missis proprium vocabulum omnino requiri videtur: nam proverbii loco ἀστέρας ἀριθμεῖν dici solebat, vid. Paroem. Graec. T. II. p. 4., velut est apud Platonem in Euthydemo p. 294, B: ἢ καὶ τὰ τοιαῦτα (ἐπίστασθε) τοὺς ἀστέρας, ὁπόσοι εἰσί, καὶ τὴν ἄμμον. qui locus hunc Theocriti versum commode illustrat. Hinc etiam Catullus 62, 206: „Ille pulveris Africi Siderumque micantium subducat numerum prius, Qui vostri numerare vult Multa milia ludi.“ Itaque non dubitavi μετρεῖν scribere, Theocritus etiam hic Alcaei vestigia legit, vid. Photius p. 264, 13: μετρῆσαι ἐπὶ τοῦ ἀριθμῆσαι Ἀλκαῖος, neque enim ad comicum, sed ad melicum poetam haec adnotatio referenda est. Dixit ipse Theocritus ad eundem modum XVI, 60: ἀλλ' ἴσος γὰρ ὁ μόχθος ἐπ' ᾀόνι κύματα μετρεῖν, quod non est sollicitandum. cf. proverbium κύματα μετρεῖς Paroem, Gr. I. 345. II, 182. Poetam de numerandis maris undis cogitavisse satis arguit quod additur ἐπ' ᾀόνι, et praeterea ὅσσ' ἄνεμος χερσόνδε μετὰ γλαυκᾶς ἁλὸς ὤθεῖ. nam etiam paulo aliter κυάθῳ θάλασσαν μετρεῖν dici solebat, vid. not. Paroem. I, 345. quorsum spectat etiam Apollinis oraculum: οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου δ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης. — Deinde βραΐδίως leviter corruptum a librario, cf. Hesych. βραΐδιον, ῥάδιον Αἰολεῖς. Eustath. ad Jl. 163, 21: ἐπεὶ καὶ ῥάδιον Αἰολικῶς βράδιον λέγεται. Sed v. 24 novissimo quo pacto vitium foedum tollendum sit haereo: apparet poetam fere idem dixisse, quod Callimachus in Del. v. 175 significavit his verbis: νιφάδεσσιν ἐοικότες ἢ ἰσάριθμοι τείρεσιν, ἡνίκα πλεῖστα κατ' ἠέρα βουκολέονται. Iam nova luna, si quidem coelum serenum nec nubibus obductum est, plurimae stellae comparent, itaque ausus sum ὀπποσσάκι μεὶς νέα scribere: formam μεὶς Aeolensibus vindicant veteres grammatici, vid. Ahrens I. 122, vulgo quidem est masculi generis, sed ubi non tam mensem (μῆνα) significat, quam lunam (μήνην), quemadmodum hoc loco, poterat commode femininum genus asciscere; extat autem aliud praeterea exemplum apud Hesychium Μέσπλη· ἡ σελήνη παρὰ Σκύθαις: neque enim hoc barbarum est vocabulum, sed

Graecum, quod Scythae a Milesiorum colonis asciverunt, quibus plenilunium erat *μεὶς πλέη*.[13]) Ceterum componendus cum hoc Theocriteo versu Homeri locus Il. Θ. 555:

> *Ὡς δ' ὅτ' ἐν οὐρανῷ ἄστρα φαεινὴν ἀμφὶ σελήνην*
> *Φαίνετ' ἀριπρεπέα, ὅτε τ' ἔπλετο νήνεμος αἰθήρ·*
> *Ἔκ δ' ἔφανεν πᾶσαι σκοπιαὶ καὶ πρώονες ἄκροι*
> *Καὶ νάπαι· οὐρανόθεν δ' ἄρ' ὑπερράγη ἄσπετος αἰθήρ·*
> *Πάντα δέ τ' εἴδεται ἄστρα, γέγηθε δέ τε φρένα ποιμήν.*

ubi *σελήνην φαεινὴν*, quamquam Aristarchus aliique epicorum consuetudine hoc importunum epitheton excusari credunt, non est ferendum: verum viderunt veteres critici, qui divisim scripserunt:

> *Ὡς δ' ὅτ' ἐν οὐρανῷ ἄστρα φάει νῆν ἀμφὶ σελήνην*
> *Φαίνετ' ἀριπρεπέα.*

sed non recte *φάει* cum *νῆν*[14]) iungunt, quae vocabula vel versus incisione separantur, referendum est *φάει* ad ea quae proxime sequuntur. Quod si verba in hunc modum collocata ambiguitate laborant, siquidem imperitis pronum fuit *φάει νῆν* in unum coniungere, id hic poeta (neque enim antiquae Iliadis ista sunt) non tam imprudens admisisse, quam consulto instituisse videtur. Neque duo versus, qui subsequuntur, adpungendi sunt, ut Zenodoto, Aristophani, aliis visum est; nam his sublatis hiat oratio, sed antiquum vitium de medio tollam, neque enim *αἰθὴρ* scripsit poeta, sed:

> *οὐρανόθεν δ' ἄρ' ὑπερράγη ἄσπετος αἴθρη.*

eademque medicina etiam infra *Π*, 299 adhibenda.

V. 28. quamquam Sappho et Alcaeus promiscue *ἐθέλω* et *θέλω* dixerunt, et ad eundem modum variavit Theocritus XXIX, 3. 7. 8, tamen hic *εἴτ' ἐθέλω* malui scribere, quam quod codex exhibet *εἴτε θέλω*. Deinde *σχόντα* scripsi, quod non solum versus lex, sed etiam sententia flagitat: nam hoc dicit poeta, se cum antea superbia fuerit elatus, iam fractum esse. Quod codex planissime praebet *ἄμφενα*, firmatur grammaticorum auctoritate: apud Hesychium extat: *ἀμφήν, αὐχήν, τράχηλον.*[15]) et ibid. *ἀμφήν, αὐλήν*, ubi recte corrigunt *αὐχήν*, quamquam ipse grammaticus iam reperit *αὐλὴν* atque hoc vitio in errorem inductus hanc glossam tanquam novam reliquis addidit. Quod Ioh. Gramm. (Ahrens I. 42) Aeolensibus tribuit *αὔφην* utrum germana sit forma an ficta, ambigas.

---

13) Forma contracta *πλῆ* etiam Diogenes Apolloniata usus sec. Herodianum *περὶ μον. λέξ.* p. 7, 7.

14) Formam *νῆ* Herod. *π. μον. λέξ.* 7, 9 ex Samiorum annalibus et ex Aristophane comico affert.

15) Musurus *τράχηλος* scripsit, sed cum Callimachus pluraliter *τράχηλα* dixerit, fortasse nihil mutandum; M. Schmidt non recte de his disputavit.

V. **29.** et seq. facili negotio restitui, sublatis quae in codice Ambrosiano vitiose sunt scripta: sed graviter corrupta est extrema pars poematii elegantissimi, quod commoda clausula absolvisse poetam consentaneum est, sed invenire quid poeta scripserit periculosum, neque confido me ipsius poetae verba restituisse; interim scripsi, quod nec a littterarum vestigiis nimis recederet nec ab instituta sententia abhorreret. Hoc enim videtur poeta dicere: *Cum vel dii amoris imperio obnoxii sint, nonne me par est amicum parum constantem, qui levissimo momento impellitur, ferre.* *Αὔρας* in codice ut videtur extat, quamquam littera $\bar{\varrho}$ incerta. Est autem oratio plane ad eum modum conformata, quo usus est Midas sophista c. **3**: *τὰ μὲν ἴδια τῶν πόλεων ἐῶ· τὰ δὲ κοινὰ τᾶς Ἑλλάδος, τὰ ἐκ Δελφῶν καὶ τὰ ἐξ Ὀλυμπίας, μέλλοντος τῶ βαρβάρω τὰν Ἑλλάδα λαβέν, καὶ τᾶς σωτηρίας ἐν χρήμασιν ἐούσας, οὐ δίκαιον λαβὲν καὶ χρῆσθαι ἐς τὸν πόλεμον*; nam ille auctor est, ut his opibus ad belli necessitates utantur, quando opus esse videatur. *Οὐ δίκαον* quod scripsi fortasse ex hoc ipso loco petiit Hesychius: *οὐ δίκαον, οὐ δίκαιον.*[16]) Deinde *φέρειν* sane usitatum est, sed *φορεῖν* quoque olim Graecos ad eundem modum dixisse indicio est adiectivum *φορητόν*, velut apud Aeschylum in Prometheo v. **981**: *εἴης φορητὸς οὐκ ἄν*, et ap. Eurip. Hippol. v. **441**: *Κύπρις γὰρ οὐ φορητόν*. Item insolens est *δεύμενον*, sed metro satis tutum: ambigi autem potest, haec forma utrum ex vocalium contractione an syntheticae litterae ecthlipsi orta sit, hoc tamen verisimilius videtur, nec dissimile est *σεύμενος*. Amicum *ἐφήμερον* vocat, cuius animus in dies mutatur, nec prorsus dispar, quod dixit Theognis v. **965**: *πολλοί τοι κίβδηλον ἐπίκλοπον ἦθος ἔχοντες, κρύπτουσ' ἐνθέμενοι θυμὸν ἐφημέριον*. Denique superest offensio in producta priore syllaba vocis *φίλον*: sane apud Homerum Il. *Δ*, **155**. *Ε*, **359**. *Φ*, **308** *φίλε κασίγνητε* legitur, atque hinc veteres grammatici ancipitem huius syllabae mensuram dictitant, velut Eustathius. In epico poeta praesertim in prima versus sede eiusmodi productio videtur ferenda esse, non item in hoc carminum genere et in medio versu. Equidem suspicor Aeolenses praeter vulgarem formam *φίλος* etiam *φ ί λ λ ο ς* geminata littera dixisse; fidem faciunt nomina propria, quae antiquitatis esse tenacissima solent, velut *Φίλλος*, (Herod. *π. μον. λ.* **11. 26** *παρὰ Ἀνακρέοντι τὸ ὄνομα*), *Φιλλὼ* mulieris nomen Ephem. Arch. n. **3500.**, *Φίλλις* Delius haud ignobilis musicus, qui passim minus recte *Φύλλις* scribi solet, *Φιλλίς* mulieris nomen restituendum ap. Hippocr. Epid. IV. **4** (ubi vulgo *Φιλὶς* scribitur), item *Φιλλίδας*, alia, de quibus vid. Keil Syll. Inscr. Boeot. p. **7**. Num etiam apud Homerum secundum hanc Aeolici sermonis consuetudinem *φ ί λ λ ε κασίγνητε* sit scribendum, nunc in medio relinquo.

Sed fortasse aliquis ambigat, quo iure hoc carmen, quod in codice Ambrosiano fertur adespoton, Theocrito vindicaverim, siquidem in eo libro, quemadmodum in multis aliis, trium

---

[16]) Etiam in Thessalico titulo (Ahrens II. 329) *δικαοῖ* legitur, Sappho tamen Fr. 29, 4 *δικαίως* scripsit, item in titulo Lesbio apud Conzium t. XII. A. 28. *πάντα δίκαια εἶ ἔμμεναι*, et similiter B. 4 et 17. Illud memorabile, urbem *Φωκαίαν*, quam Sappho *Φωκάαν* vocat, etiam duabus syllabis efferi in titulo Lesbio ap. Conzium t. VI, 1: *ἐμ Φώκᾳ δ(ὲ τ)αῖς ἄρχαις παίσαις ταῖς ἐμ Φώκᾳ παρ' ἄστων αἰμίσεων* et similiter deinceps, quod ex *Φωκάα* contractum videtur, quemadmodum ex *Δανάη* ortum *Δανᾶ*, *Ἀθηνᾶ* ex *Ἀθηνάα*.

bucolicorum poetarum carmina indiscreta et temere confusa extant, ita ut omnino etiam nunc multorum carminum auctoritas sit incerta. Sed mihi quidem non videtur dubium esse, quin tria haec aeolica carmina, quae in codice Ambrosiano deinceps leguntur, aeolico sermone ad exemplum Alcaei et Sapphus composita, Theocriti sint. Et primum quidem carmen (XXVIII), quod missum est ad Theugenidem uxorem Niciae Milesii, quo familiariter usum esse Theocritum constat, nullus criticorum Theocrito abiudicare ausus est: praeterea etiam scriptor argumenti hoc ipsum testificatur. Alterum carmen (XXIX) locuples auctor Platonis scholiasta p. 377 Theocrito tribuit, quocum etiam Schol. Tzetzae Gram. An. Ox. III. 315. consentit. Iam tertium carmen, quod nunc primum edidi, ad prioris (XXIX) similitudinem proxime accedit, ut utrumque poematium eiusdem esse scriptoris omnino sit consentaneum. Accedit aliud: carmen XXVIII inscriptum *ἀλακάτα παιδικὰ αἰολικά*, sed haud quaquam in puerorum amore versatur: igitur illa inscriptio non ad singulare hoc poematium referenda est, sed quicunque haec praemisit, omnia Theocriti melica carmina comprehendere volebat: neque vero *παιδικὰ αἰολικὰ* tantum ad carmen XXIX spectare credo, sed simul ad tertium carmen, quod edidi, et fortasse ad alia similis argumenti, quae interciderunt, pertinet: nam singulare carmen potius *παιδικὸν αἰολικὸν* dicendum fuit, quemadmodum *ἐρωτικὸν* (*ἐρωτικὸν ᾠδάριον*) alia id genus. Quamquam sane is, qui alterum poematium pariterque tertium hoc carmen pluraliter *παιδικὰ αἰολικὰ* inscripsit, illud discrimen neglexisse censendus est, quemadmodum etiam in Anacreonteis *ἐπιθαλάμια* singulare carmen inscribi solet adversante sermonis graeci proprietate. Denique ut Theocriti tria haec carmina esse credam etiam hoc me movet, quod neque Bion neque Moschus melicae poesi animum adiecisse videntur, si discesseris a versibus Anacreonteis *εἰς νεκρὸν Ἄδωνιν*, quod poematium quamvis vulgo Theocriti nomen prae se ferat, tamen ab hoc poeta prorsus est alienum. Ac mihi quidem videtur Bionis esse.

I. SCHOLÆ THEOLOGORVM.

a. Professorum ordinariorum.

F. A. THOLUCK, Dr.

I. Publice *orationem montanam* interpretabitur semel p. h. die Sabb. h. X-XI.

II. Privatim 1) *Encyclopaediam et methodologiam theologicam* bis p. h. die Iov. et Ven. h. VI-VII. vesp. tradet; 2) *tria evangelia priora* synoptice explicabit quinquies h. X-XI.

III. In seminario regio theol. *classem exegeticam N. T.* moderari perget.

HERM. HUPFELD, Dr.

I. Publice *carmina libris historicis inserta* interpretabitur d. Sat. h. III.

II. Privatim 1) *Genesin* interpretabitur quinis diebus h. II.; 2) *archaeologiam s. geographiam et antiquitates Hebraeorum* duce de Wettio tradet quaternis diebus h. III.

III. In seminario reg. theologico *exercitationes exegeticas V. T.* moderari perget.

IUL. MUELLER, Dr.

I. Publice *prolegomena ad theologiam dogmaticam* d. Merc. et. Sat. tradet h. VI-VII. vesp.

II. Privatim 1) *theologiam dogmaticam* senis p. hebd. h. docebit h. IX-X.; 2) *theologiae practicae* partem priorem tradet quater p. hebd. h. VIII-IX.

IUST. LUDOV. IACOBI, Dr. DECANVS.

I. Publice ex instituto Lenziano 1) *Gnosticorum* systemata exponet ratione habita testimoniorum quae insunt de libris N. T. dieb. Merc. et Sat. hor. XII-I.; 2) *epistolam ad Colossenses* scriptam interpretabitur d. Mart. h. VI-VII.

II. Privatim 1) *historiae ecclesiasticae partem priorem* ad Gregorii VII. tempora usque enarrabit sexies p. hebd. h. XI-XII.; 2) *introductionem in libros N. T.* tradet quater p. hebd. h. XII-I.

III. In seminario reg. theologico *exercitationes historicas* moderari perget.

WILIBALDUS BEYSCHLAG, Dr.

I. Publice *synchronismum N. T.* (Neutestamentl. Zeitgeschichte) enarrabit die Merc. h. XII-I.

II. Privatim 1) *vitam D. n. Iesu Christi* quaternis p. h. scholis explicabit h. XII-I.; 2) *epistolam Pauli ad Romanos datam* interpretabitur quinquies p. hebd. h. X-XI.

III. In seminario reg. theologico *exercitationes et homileticas et catecheticas* moderari perget.

ADOLPHUS WUTTKE, Dr.

I. Publice de *theologia philosophica aevi christiani* usque ad saeculum XVIII. disseret d. Sat. h. IX-X et IV-V.

II. Privatim *Ethicen christianam* tradet quinquies p. hebd. h. IX-X.

III. In seminario regio theologico *exercitationes theologiae systematicae* moderari perget.

b. Professorum extraordinariorum.

H. E. F. GUERICKE, Dr.

I. Publice *historiam ecclesiae recentissimae* adumbrabit hora definienda.

II. Privatim *historiae ecclesiasticae* partem alteram narrabit senis p. h. scholis h. XI-XII.

C. CHR. LEBR. FRANKE, Dr.

I. Publice *historiam artis homileticae* narrabit d. Lun. h. II-III.

II. Privatim *artem homileticam* docebit d. Mart., Merc. et Iov. h. II-III.